







1713.

1. Adelphi, Christian Michael: *De cuestationis criminis usus medico*.
2. Tering, Paulus: *De obligatione delingentibus et confirmationem criminum propriorum coram magistratu*.
3. <sup>17</sup>Graffius, Fridericus Henricus: *De lege Falernie, ejus origine, dispositione nec non usu in formis pecuniis ... 2 Exempl.*
4. <sup>17</sup>Gribenius, phil. Henricus: *De observantia collectionum iurisdictorum occasione § 49 res graec. d. anno 1661.*
5. Hiltziger, Sigismund Gottlieb: *De eo, quod fit in honorem matrimonii 2 Exempl.*
6. Finschen, Gott. Fridericus: *De fundamento officiorum erga patriam*.
7. Thinting, Dr. Daniel: *De artibus episcopi Romani in conservanda monarchia*.

5713.

7. Chenebierius, Erhardus Hermannus: *De iuramento  
albei*.  
8. Monetius, Iosephus Tudorius: *De auctoritate ad  
almenta repoti negotiorum praestanda non obligato*.  
9. Melzerus, Daniel Gottlieb: *De officio hominis, quod  
aliis debet ratione summae ipsorum felicitatis  
habito*.  
10. Melzerus, Daniel Gottlieb: *De pena divina legi  
naturali annexa*.  
11. Olearius, Io. Frider: *Ecclesiasticus V. occasione l. 14.  
deg. de 7. j.*  
12. Olearius, Io. Frider: *De consilio in alterius injuriam  
non mutando occasione l. 75 ff. d. 7. j.*  
13. Olearius, Philippus: *De fortuna populi Romani*.  
14. Reckenberg, Cornelius Otto: *Fundamenta iurisprudenciae  
naturalis lib. III. art. 6, 7, 8, 9.*

1713.

15. Schaefferus, Ioh. Christopheus : De restricta testatoris potestate.

16. Schaefferus, Ioh. Christopheus : De restricta testatoris patestate.

17. Schaefferus, Ioh. Christopheus : De differentiis iuris communis et statutaris liberae S. R. S. reipublicae Francofurtensis et Maxima curia alienationibus

18. Stiglitz, Christianus Ludovicus : De jure imperatiuum in ius successorum substitutum.

19. Tihus, Georgius Burkard : De contractibus patris et liberorum in potestate ejus existentium.

20. Tropaeoeges, Ioh. Frid. : De mitiganda adulterio paucia ab unegata debita conjugale. 25 Sept. 1713  
1745

21. Winkelius, Carolus Gottlieb : De potestate legum civitatum in ius naturae.



Pr. 59. num. 34. P. XII. 52.

1713, 3<sup>b</sup>

7  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JURIDICA  
*D E*  
LEGE FALCIDIA

E J U S  
ORIGINE, DISPOSITIONE  
N E C N O N  
U S U I N F O R O S A X O N I C O

Q U A M  
O C C A S I O N E C O N S T . E L . I . P . III .  
C O N S E N S U I L L U S T R I S J C T O R U M O R D I N I S

P R A E S I D E  
D . F R I D E R I C O H E N R I C O G R A F F I O ,  
S U P R . C U R . P R O V . A D V O C A T . O R D I N .

M O D E S T Æ E R U D I T O R U M D I S Q U I S I T I O N I ,  
A D D . XXII . A U G . A N . M D C C X I I I .

S U B J I C I T

C H R I S T I A N U S A U G U S T U S G L A S E R ,  
S O R A V . L U S A T .

L I P S I E ,  
L I T T E R I S I M M A N U E L I S T I T U I



V I R O  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQUE  
MAGNIFICO, DOMINO,  
DOMINO  
**ABRAHAMO CHRISTOPHORO**  
**PLAZIO,**  
ICTO CELEBERRIMO,  
SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE  
POLONIARUM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE  
IN SUPREMO PROVOCATIONUM JUDICIO  
CONSILIARIO,  
IN CURIA PROVINCIALI SUPREMA, ET SCABINORUM  
COLLEGIO ASSESSORI GRAVISSIMO,  
**CIVITATIS LIPSIENSIS CONSULI**  
MERITISSIMO & reliqua,  
DOMINO SUO, MECÆNATI, ATQUE PATRO-  
NO ÆTATEM USQUE DEVENERANDO,  
EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA  
DISSERTATIONEM HANC  
SACRAM ESSE  
VOLUIT  
PRÆSES  
ET  
RESPONDENS.

VIR O  
PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSI-  
MO, DOCTISSIMOQUE  
DOMINO  
M. MATTHIÆ EPHRAIM  
LUCIO,  
ECCLESiarum ILLERSDORFFENSium  
PASTORI,  
OPTIME MERITO, AC FIDELISSIMO,  
VITRICO SUO, GENITORIS INSTAR  
OMNIMODA SUBMISSi ANIMi PIETATE AC REVERENTIA  
AD URNAS USQUE  
COLEndo,  
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS  
OBSEQUII PIGNUS,  
DAT, DICAT, CONSECRAT,  
filius obedientissimus  
CHRISTIANUS AUGUSTUS GLASER.

VIR PLURIMUM REVERENDE &c.

PARENTS HONORATISSIME,

**N**on diu arcessendæ sunt rationes, quæ, quod *svavissimo Nomi*ni *Tuo*, hasce primicias meas offerre, ausus fuerim, me moverint. Qui enim secum paulisper pensitat, quantum vel ex solius naturæ instinctu debeant liberiparentibus, is facillimo intuitu, reverentiam erga TE meam animadvertis, hanc dedicandi audaciam benigniter excusabit. Sane, vix in mentem revocare lubet ea omnia, qui-

quibus infucatum & plane integer-  
rimum amoris affectum tot annis mi-  
hi exhibere non dubitasti: status e-  
nim ille, cui *Divina Providentia*,  
*optimo genitore* orbatum, me subje-  
cerat, durior admodum videbatur,  
ita, ut in hunc usque diem non sine  
animi moerore recordari queam. At-  
que eo magis consideranda venit  
præsens vitæ ratio, cui Tu, *Benignissi-  
me Parens*, meliorem dedisti fortu-  
nam. Tua benignitas ea supplere  
& perficere voluit, quæ per genito-  
ris jacturam videbantur amissa. Nun-  
quam defuisti *exemplo*, nunquam  
*consilio*, nunquam *auxilio*. Verbo:  
abundabas semper beneficiorum ge-  
neribus, tenuitatem meam adjvantib-  
us. Quæ, cum ita sint, neminem vi-  
deo post DEUM immortalem, quem  
salutis meæ autorem venerari liceat,  
quam quidem TE, *optime Parens*. Nul-  
lus

lus adeo curæ cordique habuit indi-  
gentiam meam. Nullus inde majo-  
res devinctissimæ mentis expectare  
potest tesseras. Accipe itaque sere-  
na, uti semper quidem soles, fronte,  
grates humillimas, quas TIBI persol-  
vit animus meus. Accipe illas per  
publicam hanc confessionem. Acci-  
pe has studiorum primitias, & incre-  
menta, si quæ forsitan sunt, vel erunt,  
ac firmiter persuasum TIBI habeas,  
me per totam ætatem cogitaturum,  
quomodo ipsa re compensare quo-  
dammmodo possim tot sinceritatis  
Tuæ documenta. DEUS Te servet sa-  
num atque in columem per feros us-  
que annos, in emolumentum ecclie-  
siæ, lectissimæ matris delicum, mei-  
que solatium. *Vale & Fave*

Dabam Lipsia,  
die 22. Aug. 1715.

filio obsequentissimo  
CHRISTIANO AUGUSTO GLASERO.



## PRÖEMIUM.

**N**icum atque inæstimabile generi mortalium in vita civili solatum esse libertatis felicitatem, non solum leges ostendunt, præcipue PAULUS in l. 106. ff. de R. f. sed & quilibet miser hoc insigni brabeo privatus, cui in hoc tantummodo ea, conqueri nimirum adversam suam fortunam, relicta, testatur. Si enim ad statum libertatis, i. e. naturalem, in quo omnes liberi præsumuntur, quis respiciet, facilis forte intuitu videbit, nullam asperiorem reperiri conditionem, quam servitutis, quæ tanquam novus & præternaturalis status jure gentium introducta. l. 4. ff. d. Just. & Fur. Pr. f. de libert. Nullus igitur erraverit, si libertatem cum vita, servitutem cum morte comparat. Eo enim & respexerunt LL. Romanæ, quæ ejusmodi servitutis poenam tanquam mortem civilem considerarunt, & quemvis eam passum promortuo declararunt. l. 64. §. ult. ff. pro Soc. & l. 209. ff. de R. f. BRIS-

A

SO-

**SONIUS & CONAN.** *Lib. 8. c. 10. n. 2.* Quivis autem de ratione sollicitus, sciat, id eo factum esse, quod cum libertate simul etiam ejus effectus pereat, ita, ut sicut in mortuus, cum vita naturali omni actione humana privetur, quoque ejusmodi homo simul cum libertate tanquam vita civili ad instar mortis naturalis, civilem sive servitutem passus, jura liberis alias competentia amittat. Quo durior autem servitutis conditio, eo felicior inæstimabilis libertas, qua cuique facere permisum, nisi, si quid vi aut jure prohibetur *l. 23. §. fin. ff. de acqv. vel amitt.* *Poss. l. 15. ff. de Cond. Instit. l. 185. ff. de R. J.* Cognoscitur autem libertas ex triplici potissimum fonte, jure scilicet **CONNUBIORUM**, **CONTRACTUUM** & **TESTAMENTORUM**, quæ infallibilia libertatis indicia existunt, ut inde valide concludi possit, quod is, qui hujusdem juris particeps est, quoque cum effectu liber dici valeat. Inter præcipua vero libertatis indicia, de quibus jam dictum, referenda testandi facultas, sive in ultimum, id est, mortis eventum, de bonis suis valide & libere disponendi potestas. *arg. l. 32. ff. de R. J. vid. & B. STRYCK. in Usu Modern. ff. de Statu hom. §. 8. DAUTH. de Testamentis Rubr. qui Testam. fac. poss. n. 241.* Nemo enim cum effectu liber dici potest, cui jam dicta testandi potestas ad-  
emta;

emta; Siquidem apertum est, ejusmodi personæ, quæ jure testari impediuntur, liberæ quidem quod dici possint, intuitu servitutis, quod nimirum ingenuæ sint, non autem cum effetu, quoad testandi facultatem, tanquam præcipuum libertatis indicium. Exemplum vide in filio fam. qui ne quidem permittente patre, ultimam voluntatem, nisi de peculio castrensi vel quasi, intuitu cuius pro patre fam. habetur & speciale quoddam legibus sancitum est l. 2. ff. ad SCTum Maced. conficerere potest l. 3. ff. qui Test. fac. poss. Et l. 45. ff. §. 1. de R. J. cui tamen libertatem naturalem nemo denegabit. Verum enim vero, cum testamentorum materia, tam propter insignem libertatem olim testatoribus competentem, quam noviorem juris dispositiōnem, nimiam hanc & quasi infinitam coangustantem, ut & taceamus ob innumerās dubias exinde emergentes juris quæstiones, consideratione digna sit: Ita operæ pretium fore existimavimus, de iisdem legibus, quibus Testatorum potestas restricta, præcipue vero LEGE FALCIDIA, ejusque præsertim Origine, dispositione, nec non usu practico in foro Saxonicō, hasce pagellas conscribere, Benevoloq; Lectori, ea, qua par est, humanitate offerre. Omnia vero, quæ forte invenies, ad palatum non adeo accommodata, reciproca humanitate in bonam partem interpreteris, rogamus.

## CAP. I.

DE

LEGIS FALCIDIAE  
ORIGINE.

## §. I.



Lim, videlicet LL. XII. Tabularum infinita erat Testatorum libertas, ut neglecto heredis favore, an aliquod lucrum ex hereditate accipiat, vel non, totum patrimonium legatis absorbere valerent, uti videre est ex verbis Fragment. XII. Tabb. Tit. de *Test. UTI QUIS LEGASSET SUÆ REI, JUS ESTO:* item ULPIANUS *Tit. de Tutelis §. Testamento. 14.* ubi etiam ejusmodi verba inveniuntur: *PATER FAMILIAS UTI LEGASSET SUPER PECUNIA, TUTELAVE SULÆREI, ITA IUS ESTO:* vid. CUJACIUS h. 1. CORNIFICIUS l. 1. ad HERENNIVM junclo pr. *J. de Leg.* Unde factum, ut herede vel ob nullum, vel minimum, lucrum hereditatem repudiante sœpius & plerumque ejusmodi testatores intestati deceserint, pr. *Inst. de Lege Falc.* Ne tamen hoc malum in odium testatorum incresceret, tam ex autoritate jura constituentium, quam interpretatione legum, nimia ista libertas in testando est restricta *l. 120 ff. de V. S.*

## §. II.

Eiusmodi vero Leges testamentariae proprie sic dictæ, quibus infinita alias testandi libertas coércebatur, tres præcipuæ apparent. Prima est LEX FURIA a Cajo Furio Tribuno plebis lata, qua lege prohibitum est Testatori, supra mille asses, i. e. mille aureos legare, aut mortis causa donare, nisi cognatis, certisque aliis personis, quibus exceptis, si heres extraneus quodam ex testamento plus præfinita quantitate

EJUS ORIGINE, DISPOSITIONE &c. §

tate acciperet, quadruplum ejus reddere cogebatur. AL-  
TERA lex erat VOCONIA a QUINTO VOCONIO SA-  
XA, itidem Tribuno Plebis, Coepione & Philippo Coss. An-  
no II. C. 594. promulgata. Hac lege vetitum fuit, ne cui  
plus ex legato, quam heredi relinqueretur. Cujus legis  
dispositionem pulchre & eleganter explicat THEOPH. DI-  
DAC. COVARRUVIAS in cap. Raynutius in pr. n. 35. X. de  
Testam.

§. III.

Postquam autem ejusmodi legibus nondum satis de  
coercenda libertate testandi cautum erat, dum impune con-  
tra utriusque dispositionem, legi fraus fieri poterat (& quidem  
contra FURIAM quando testator 4. millia assuum s. aureorum  
possidens, 4 singulis legabat, tunc enim eo in casu nil contra  
legem FURIAM faciebat testator, cum id fieret, quod lege  
sancitum est. Ideoque eam legem inter minus perfectas  
ULPIANUS c. I. Inß. §. minus & c. 28. §. intestati, refert. Con-  
tra VOCONIAM, quando testator 40. aureos in bonis ha-  
bens, triginta & novem singulis ejusdem numeri legatariis  
tribuebat quo casu unicus tantum, nempe quadragesimus,  
tanquam residuum manebat apud heredem vid. CUJACIUS  
Tit. ad L. Falc. IDEM de Successione liberorum §. posse ve-  
ro.) eo factum est, ut ejusmodi legibus, in quibus tantum-  
modo de singulis legatariis agitur, succurreretur LEGE FAL-  
CIDIÆ, qua est TERTIA testamentiarum, qua jam dictarum  
legum defectus supplebatur.

§. IV.

Prodiit hæc lex A. U. C. 712, sub Augusto, Trium-  
viro Reipublicæ constituerâ, antequam sibi Tribunitiam  
potestatem adiecisset, LIVIO ANTONIO & PAULO SERVI-  
LIO Isaurico iterum Coss. vid. GRAVINA de Orig. Jur. Civ.  
Tit. de Legibus & Sctis §. 77. p.m. 636. Dissentit ab eo JOH.  
HARPPRECHT in Comm. ad Inst. pr. Tit. de Lege Falc. num. 5.

qui refert quidem temporibus D. Augusti latam esse hanc legem, non autem jam dictis Coss. niimirum Antonio & Servilio Isaurico, sed Cnejo Domitio & Cajo Asinio Pollione Coss. A.U.C.714. cui & adhaeret B.DN. SVENDENDÖRFF. in *Diss. de Leg. Falc. n.2. & 3.* WESENBEC. & PEREZ. ad d.l. qui DIONEM L.48. EUSEBIUM in *Chronicis*, DUARENUM ad Tit. ff. ad L. *Falc. c.1.* & GRATIANUM in c. quedam, diss. 2. tanquam consonantes & consentientes d. l. adducunt.

## §. V.

Autorem vero Lex habet P. Falcidium, Tribunum plebis a quo & nomen accepit. vid. DIO. d.l. ISIODORUS L. V. *Etymol. c. 15.* nec non GRAVINA de Orig. Jur. Civ. d. l. Errant igitur Glossatores, præcipue ACCURSIUS, ejusque Confessatores, hujus rei ignari, qui putavere hanc legem vel ab aliquo Consule Falcidio latam esse, vel a vocabulo falce nomen accepisse, quod quemadmodum falk scenum & segetes, ita lex Falcidia legata falcet, vid. BARTOLIUS in l. i. ff. ad L. *Falc.* KLINGIUS b. l. n. 4. & AZO in *Summa C. b. t.* Legis nomen & autoritatem exlege HORTENSIA accepit. §. 4. J. de J. N. G. & C.

## C A P. II.

DE

LEGIS FALCIDIÆ  
DISPOSITIONE.

## §. I.

Ut ordine procedamus ab Auctore nunc ad summam hujus legis progredimur, quæ est dispositio correctoria tam legis Furia quam Voconia, & sicuti ejusmodi legibus mere de singulis legatariis cautum, ita nostra lege de universis & tota hereditate singulare quoddam constitutum & Testatoribus certus finis & terminus legandi positus est, quo quartam heredi-

reditatis heredi salvam relinquere cogeabantur. Plura videri possunt in l. i. pr. & l. 73. §. ult. ff. de L. Falc. Duo autem ibidem secundum Paulum, JCtum, hujus legis apparent capita, primum PERMISSIVUM quo libera tam testandi, quam legandi usque ad Dodrantem potestas conceditur: alterum PROHIBITIVUM, ut ultra hanc nemo heredem legatis gravare possit. Unde patet, non tantum testatorum, sed etiam heredum causa legem Falcidiā fuisse latam. Cassas enim illi nuces vendere videntur, qui magnam disquisitionem super hoc instituunt, utrum nostra Lex intuitu testatorum an heredum fuerit lata? non enim errabimus, si in utriusque commodum conditam esse adseramus. Testatoris, ne repudianter herede ultra dodrantem onerato, hereditatem, intestatus plane cadat; Heredis, ut simul quoque cum Titulo honorabili aliquid lucri ex hereditate percipiat, & per hoc ad adeundam hereditatem quasi invitetur. Neque PAULUS in L. 71. ff. ad L. Falc. Justiniano contradicit, quando heredis causa latam esse inquit: vid. FRANC. HUSMANNUS lib. Paradoxor. ad L. Falc. Paradox. 2.

## §. II.

Cognita igitur Legis dispositione, facile etiam definitio Legis falcidiæ, que ante omnia præmittenda, emanabit; quod nimirum sit Plebisitum, quo cautum, ne ultra dodrantem hereditatis sue testator heredem gravare possit, ac si contra fecerit, diminutionem patiatur; seu tantum legatis detrahatur, quantum dodrantem excedunt, pars vero quarta salva heredi conservetur l. i. ff. ad L. Falc. pr. f. eod. Unde & sequitur, quod Quarta Falcidia sit portio lege confirmata, heredi ultra dodrantem legatis gravato, ex hereditate testatoris competens. Non vero confundenda haec portio, sive quarta Falcidia cum quarta Trebellianica ex SCto TREBELL. descendente. Quamvis enim inter Legata & Fideicomissa quoad eventum præcipue intuitu accipientis, mere verbalis, non autem realis sit diffe-

differentia, præsertim dum per l. 2. C. communia de leg. legatorum & fideicommissorum una eademque natura facta, tamen hoc non efficit, ut & leges eorum intuitu latæ, sibi invicem sint adæquatæ, quam in opinionem nonnulli inter Doctores, quamvis fragili fundamento, inclinavere, quando statuerunt, legem Falcidiam SCto Pegasiano productam esse quoque ad Fideicomissa. De qua re paulo accuratius disseramus. Plerumque occasione d. l. 2. C. communia de leg. it. §. 5. J. de Fideic. heredit. inter Doctores quæstio, an quarta falcidia & Trebellianica adeo adæquatæ, ut unius naturæ sint, & Falcidia, quemadmodum Trebellianica, de Fideicommissis deduci possit? ventilari solet. Nonnulli affirmative, fundantes se in jam dictis LL. ad eam respondent, alii negative, quorum opinionem & nostrā facimus, rejicientes eorum sententiam qui contrarium assercere conantur. Ut tamen eo melius hæc controversia percipi possit, primo Contrariantium fundamenta & exinde fluentia argumenta premittamus, deinde vero nostram opinionem, cum ratione & refutatione eorum adjiciamus. Concludunt verò I. plerumque sequenti modo: Si verum est nullam amplius reperiri differentiam inter Legata & Fideicomissa, sequitur etiam nullam differentiam inter leges intuitu eorum latas, nempe Falcidiam & Trebellianicam, existere: Antecedens probant tanquam ex lege fundamentali, nimirum l. 2. C. de Leg. & quidem ex adæquatione Legatorum & Fideicomissorum. Consequens vero ex §. 5. Inst. de Fideicom. hered. nec non l. 2. & 3. C. ad L. Falcid. quibus in textibus legem Falcidiam positam esse pro quarta Falcidia reperiatur. II. Argumentantur a diversitate temporis promulgationis tam legis Falcidæ, quam SCti Trebellianici, dicentes: SCtum Trebell. centum fere annis post Legem Falcidiam promulgatum esse, intra quod tempus, si quis modo Fideicomissorum hereditatem relinquere voluisse, in fraudem legis Falcidæ multum facere potuisse. Quod autem

autem ad primum argumentum attinet, breviter responde-  
mus: haud quidem negantes, ex aquatam quidem esse Lega-  
torum & Fideicommissorum d.l.naturam; (quod tantummodo  
de particularibus admitti mus,) non tamen exinde concluden-  
dum, tantum unionem factam esse, ut nulla amplius dif-  
ferentia inter legem Falcidiā & Sctū Trebellī existat,  
nullae enim leges apparent, quæ legibus prioribus, differen-  
tiam inter hasce leges continentibus, derogent; ut & tacea-  
mus adhuc hodie non exiguum differentiam apparere, ut mi-  
remur certe eorum conatum, qui nullam amplius in illis ex-  
istere sibi persuadent. Patet enim differentia 1) ex speciali  
legis dispositione 2) natura dd. LL. quo & referamus res, quæ  
in earum portionem imputantur. 3) ex prohibitione intuitu  
Falcidiā testatori jure Novellarum permissa, quæ vero sini-  
stre ad Trebellianicam applicatur. Non enim opus fuisset  
novæ legis Constitutione de Fideicommissis, si illa lege  
Falcidia diminui potuissent, de quo tamen contrarium repe-  
rimus tot. Tit. de Scto. Trebelliano, & quamvis supra di-  
ctis LL. nempe §. 5. Inſt. de Fideic. hered. & l. 2. 3. C. ad Leg.  
Falcid. it. l. i. ff. ad Sctū Trebell. apparenter quidem con-  
trariantium opinio confirmari videatur, dum in istis non  
nunquam quarta Falcidia pro quarta Trebellianica posita in-  
veniatur, tamen verbis dd. LL. accurate perspectis, patet non  
quidem hoc intelligendum esse, quasi quarta Falcidia & Tre-  
bellianica invicem confundantur, sive quoque Falcidia de Fi-  
deicommissis detrahi possit, sed sicuti quarta Falcidia de Lé-  
gatis, ita Trebellianica ad ejus imitatione detrahatur de Fi-  
deicommissis. Naturam vero tam legis Falcidiæ quam Scti  
Trebellianici, quo præcipue referenda rerum imputatio in-  
tuimus tam quartæ Falcidiæ quam Trebellianicæ, quod attinet,  
ex l. 9t. ff. ad L. Falc., ubi verba MARTIANI existunt: in  
quartam hereditatis, quam per Legem Falcidiā heres habere  
debet, imputantur res quas jure hereditario capit, non quas

jure Legati vel Fideicommissi, vel implenda conditionis causa,  
accipit, nam hec in quartam non imputantur, sed in fideicommissaria hereditate restituenda, sive Legatum vel  
Fideicommissum datum sit heredi, sive precipere vel deducere vel retinere iussus est, in quartam id ei imputatur.  
Satis clara elucet inter Falcidiā & Trebellianicā differ-  
entia, dum in hac lege quartā Falcidiā, in quam non im-  
putantur ea, quae heres jure Legati vel Fideicommissi capit,  
statim quartā Trebellianicā, in quam ea imputantur, oppo-  
nuntur. Nec obstat l. sape citata 2. *Communia de Leg.*: nam  
non sequitur, Legata Fideicommissis sunt exæquata, E. &  
Leges eorum causa latæ, ut & taceamus, magnam differentiam  
apparere inter Legarium & Fideicommissarium intuitu e-  
molumentorum & deteriorationis de quo vid. CARPZ. L. 6.  
t. 3. R. 32. n. 8. seqq. Cum igitur illa separata esse, mani-  
festum sit, nihil ex iis infertur, arg. l. 20. ff. de Minor. l. ult. ff.  
de calum. & l. 7. ff. pro emtore.

### §. III.

Diximus supra differentiam inter quartam Falcidiā &  
Trebellianicā etiam ex potestate prohibendi apparere. Et  
quamvis BARTOLUS in l. 3. ff. ad SClum Trebell. ARETINUS  
in Conf. 37. ANDR. GAILIUS L. 2. obs. 138. n. 15. & alii affir-  
ment, Trebellianicā quemadmodum Falcidiā prohiberi  
posse, & quidem ex Nov. l. c. 1. §. Si vero: ob affinitatem ha-  
rum legum, & quoniam ad exemplum legis Falcidiā Trebel-  
lianica introducta sit; tamen & in hoc differentiam satis clare,  
refutatis contrariantium argumentis, ostendamus. Verissi-  
mum equidem est, neque in quarta Falcidiā neque Trebellianicā  
jus prohibendi testatoribus olim competuisse, eo, quod  
nemo ei privata autoritate, quod lege publica conditum  
est, derogare possit; l. 35. ff. de Leg. l. l. u. C. ad L. Falcid. At-  
tamen quanquam per sape cit. Nov. l. ratione quartā Falcidiā,  
tanquam legem correctoriam, aliud introductum esse  
appa-

apparet, tamen cum nihil simul de Trebellianica reperiatur, nihil quoque respectu ejus mutatum esse arbitrandum. Si enim verba d. Nov. accurate inspicies, videbis nullam mentionem factam esse de Trebellianica, mere vero de quarta Falcidia. Difficultas quidem potissimum in eo consistere videtur, si querimus, utrum lex Falcidia extendi possit ad quartam Trebellianicam, dum quidem nemo inficiari possit magnam similitudinem & affinitatem inter istas leges reperi: Sed respondemus ad hanc objectionem, legem correctriam in uno simili non statim ad aliud applicari juxta *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.* ut & taceamus multum hoc facere, quod Trebellianicae detractio competit heredi restituere gravato per fideicommissum, qui restituere tenebatur, imo cogi poterat a Fideicommissario adire hereditatem *l. 4. ff. ad SCtum Trebell.* quod tamen non erat intuitu quartæ Falcidiae, dum invitus ad id non adigeretur. Cum igitur heres fiduciarius in hoc deterioris conditionis sit, quam heres ad legata exsolvenda obstrictus, merito quoque, ratione prohibitionis Testatori concessæ, melioris conditionis esse debet. Quibus præmissis apparet, quam infirma sit eorum opinio, qui nullam differentiam L. Falcidiae, & Trebell. SCti reperi & legem Falcidiæ ad Fideicommissa quoque produci arbitrantur. Manebit enim & in hoc regula ista firma: tamdiu juri antiquo inhærendum esse, donec sublatum esse expressis LL. pateat, *a. l. f. ff. de Conf. Princ.* Privata autem interpretatione novum jus introducere haud permisum. Et hæc sufficiant ad argumentum I, contrariantium dicta.

## §. IV.

Supereft argumentum II. cuius fundamentum consistit in diversitate temporis promulgationis Legis Falcidiae & SCti Trebell. Inde concludunt, quod SCtum Trebellianum 100. fere annis post Falcidiæ legem promulgatum, E. intra hoc

tempor-

B 2

tem-

tempus multum per fideicomissa Legi Falcidiae fieri potuisse in fraudem. Nostram vera opinionem mox scrupulo liberabimus, si respondemus, fideicomissa eo tempore, quo Lex Falcidia lata erat, nondum ad scriptam juris habuisse necessitatem, quae saltem ex moribus relinquebantur, vid. CICERO Lib. 2. de Finibus & VALERIUS MAX. L. 4. c. 2. & ex arbitrio & voluntate reciproca heredis & testatoris dependebant. Apertum enim est, quod autoritatem juris primo tempore D. Augusti acceperint, ut videre est ex CUJACIO L. 8. obs. c. 4. sub quo deinde ejusque successore Nerone L. Ann. Seneca & Trebellio Maximo Coss. 8. Cal. Sept. SCUM Trebellianum vetus, ut vocant, sub Vespasiano, Pegaso & Pusione Coss. correctum, unde Peganum dictum, denique vero a Justiniano ex utroque novum Trebellianum, uti vocatur, conditum prodit. Ex quibus praemissis manifeste veris sequitur, fraudem per fideicommissorum relictionem Legi Falcidiae fieri haud potuisse, unde & ex hoc falsa opinio, qua lex Falcidia ad Fideicomissa producitur. Quamvis non negemus ad imitationem quartae Falcidiae intuitu Fideicomissorum introductam esse quartam Trebellianicam. Nec obstant l. 10. 11. ad Leg. Falc. l. 41. §. 3. ff. de vulg. Et pupill. Substit. l. 2. §. ult. ff. de jur. dor. in quibus non nunquam quarta Falcidia pro Trebellianica ponitur. Id quod tamen factum esse putamus, non, ac si unius naturae essent, sed vel ob imitationem, quam quarta Trebellianica respectu Falcidiae habet, vel ob nominationem generalem, qua falcidia omnes quartas sub se comprehendit.

## §. V.

Quemadmodum vero jure veteri testatorum libertas legi Falcidia coercebatur, dum certam portionem heredi relinquere tenerentur, ita jure Novellarum, & quidem Nov. 1. iterum aliquo modo cum prohibere quartae Falcidiae detractionem ipsis permitteretur, incrementum coepit. Et id quod

quod olim necessitatis erat, nunc voluntatis intuitu sc. testatoris factum: ita ut detractionem quartæ testator pro arbitrio tam prohibere, quam salyam relinquere possit. Quam ob rationem haud omittenda est illa quæstio: Num & testatori permisum tacite, sive per verba æquipollentia, detractionem ex Lege Falcidia prohibere. Ad quam varie respondeunt JCti, tam affirmative, quam negative, & si BACHOVIUM ad TREUTLERUM Vol. II. Diff. 14. ad b. l. evolves, affirmare jam dictam quæstionem eum videbis, cum, inquit in Nov. I. JUSTINIANUM de hoc non tantum agere, quod sc. verbis expressis prohibitio concepta esse debeat; sed etiam, ut testatorum ultima voluntates in omnibus integre conserventur; quo necessario sequitur, quibusunque etiam verbis eadem ultima voluntas & mens testatoris declarata, eodem quoque modo scripta conseruanda sit. Ut igitur, si verba extent, jubeo meum heredem totum Titio exsolvere Legatum, alia sententia esse non possit, quam ut ne Falcidia ab ipsis legatis detrahatur. Nos autem cum CARPOVIO, BRUNNEMANNO, nec non Magnif. Dn. MENCKENIO negativam sententiam, tanquam veriorem, amplectimur, eam ob rationem, partim quod d. N. i. c. 2. §. 2. manifesta verba Imperatoris: *Si vero expressum &c. existant, partim vero hac prohibitio quartæ Falcidiae valde odiosa sit intuitu heredis, adeoque magis restringenda, quam extendenda.* Nec obstat, quod tacita voluntas alias eundem juris effectum habeat quam expressa, & id quoque expressum dicatur, quod ex verbis æquipollentibus colligi possit MASQUARD. de Prob. Vol. III. Concl. 1389. n. 4. BOERUS Dec. 44. n. 193. JAC. SCHULTES in Addit. ad MODEST. PISTOR. P. I. Qu. 48. n. 13. cuique enim notum, ejusmodi verba æquipollentia ambigua esse ita, ut in utrumque sensum facile interpretationem recipere possint; Igitur potius in favorem heredis dicendum, testatorem eum salua Falcidia gravare voluisse, a. 1. 55. de Leg. I. CARPZ. P. III. d. 13. BERGER.

*in Oecon. Jur. L. II. Tit. 4. §. 31. n. 6.* sicuti autem testatoribus prohibendi Falcidiā potestas legibus concessa, ita & in arbitrio heredis existit suo favori renunciare *L. 29. C. de Pact.* & quidem eodem modo, quo testatores, si valida prohibitio nostræ legis existere debet. Renunciatio igitur expresse fieri debet *L. 46. ff. ad L. Falc.* minime vero tacite quod *a. l. 9. C. cod.* existimat Dn. BERGERUS *d. l. n. 8.* Et quanvis nonnullis Legatariis integra Legata exsolverit, tamen ratione reliquorum idem facere non tenetur. Aliud vero dicendum esse putamus, si ex errore juris id fecerit, errans enim in jure pro sciente habetur, adeoque sic donasse præsumitur *L. 9. C. ad L. Falc.* Propterea enim si sciens ultra modum se gravatum esse uni vel alteri integra Legata exsolverit quoque reliquis idem facere obligatur *Nov. l. c. 3.* nisi cum protestatione solutio facta *a. l. 34. inf. ff. de neg. gest.* aut ex postfacto novum emerserit, de quo inscius fuit heres, & alienum *Autb. sed cum testator C. b. t.*

## C A P. I I I.

DE

USU LEGIS FALCIDIÆ IN  
FORO SAXONICO.

## §. I.

Hactenus de dispositione LEGIS FALCIDIÆ, ejusque differentia intuitu SCTI TREBELLIANI egimus; restat, ut denique de usu in foro Saxonico acturi promissis nostris satisfieri faciamus, quo nos convertimus. Solliciti autem imprimis hac in re erimus, ut in quantum fieri potest, id præmittamus, quod jure civili obtinebat, deinde vero, quid contrarium jure Saxonico Electorali constitutum reperiatur, annexamus.

## §. II.

## §. II.

Usus legis varius est, mox enim in persona, cui competit, mox in re ipsa, quando nimis quæstio emergit, ubi locum habeat, vel non; mox denique in Actionibus, quibus quartam ex Lege Falcidia consequimur, se exhibet. Possemus quidem de singulis multa afferre, ne tamen nimia proximitate legenti molesti simus, singula tantummodo ex tam diviti penu delibabimus.

## §. III.

Quod itaque ad personam, cui jus detrahendi ex nostralege competit, attinet, ex supra præmissa definitione legis promanat, neminem alium sub ea intelligi, quam solum heredem, ultra Dodrantem gravatum, sive testamentarius sit, sive ab intestato succedens, l. 71. ff. ad L. Falc. ejusque successores, l. 10. C. b. 4. unde colligitur, neque ad legatarios aut fideicommissarios, ne quidem universales ejusmodi jus pertinere, nisi forte heres quartam ea intentione aut declaratione non detraherit, ut eam donaret vel legatario vel fideicommissario l. 7. §. 19. ad SCtum Trebell. Sub successoribus vero non tantum heredis, verum etiam quemcunque, heredis personam repræsentantem intelligimus, item extraneos, ad quos titulo speciali vel cessione vel donatione &c. jus detrahendi ab herede translatum est. Tunc enim non dubitamus, quin eo ex capite quilibet extraneus quartam, quemadmodum heres ex hereditate deducere possit. arg. l. 1. §. 19. ff. ad SCtum Trebell. Ast cum lex nostra in solatium gravati lata, nonne etiam vel legatarius vel fideicommissarius legatum alii præstat gravatus intuitu portionis legata, æque ac heres quartam deducit? negamus eo, quod in l. 47. in l. ff. ad L. Falc. & l. 22. §. ult. ff. ad SCtum Trebell. nemini alii, quam heredi directo detrahendi potestas concedatur, conf. CARPZOV. P. III. C. I. d. 14. & contra naturam Legis Falcidæ esset, bis deducere id, quod tantum semel fieri constitutum; quartam enim,

enim, non vero ultra detrahere permittit, quod fieret, si plures quartæ ducerentur. Unde si plures eodem testamento heredes pro diversa parte instituti, pro diversa quoque parte gravati sint, non singuli quartam ex toto, sed pro rata, & pro sua portione detrahunt l. 77. ff. ad *L. Falc.*

## §. IV.

Diximus jam, nemini præter heredi beneficium ex Legge Falcidia competere, præterquam iis, quibus pro herede detrahere permisum: Videmus quoque, hac de re jure Saxonico Electorali nil contrarium, vel constitutum, vel receptum esse, præter, quod in donatione omnium bonorum mortis causa judicialiter facta, penitus abrogata inveniatur, & ejusmodi donatarius universalis heredi, in cuius favorem Falcidia introducta, ipsæ donationes vero solennibus testamentis per omnia æquiparentur. Quæ quidem fictio juris non ipsa Constitutione & verbis expressis continetur, prudenter tamen a B. CARPZ. C.I.P. III. d. 5. dum ratio legis non aliter permittit, adjecta est. Quarritur itaque hac occasione, num etiam ejusmodi donatario universalis ultra dorantem legatis gravato, sicuti heredi directo, idem beneficium Legis Falcidiae tribuendum? Et certe, si fictio illa, qua donatarius heredi æquiparatur, vera est, quod affirmare haud veremur, ita & nos existimaremus, eodem quoque modo questionem hanc esse decidendam, nec obstat l. 47. ff. ad *L. Falc.* & l. 22. §. ult. ad *SCtum Trebell.* quæ leges tantummodo heredi hoc beneficium tribunt; Si enim donatarius heredi exæquatur, contrarium vel dictis legibus, vel *Const. I. P. III.* constitutum non appareat.

Missis personis quartam ex lege detrahentibus, porro nunc, ubi lex nostra vel locum habeat, vel non, dispiciendum.

dum. Olim quidem hæc lex sultim obtinuit in legatis testamento relictis, eam certe ob rationem, quod legata, non alter quam testamentis relinqui poterant, *l. i. pr. ff. ad L. Falc. l. 2. C. eod.* (quod tamen jure noviori immutatum, dum etiam extra testamentum, absque heredis institutione vel epistola *l. 22. C. de fideic. vel Codicilis l. 1. C. de Codicilis* imo nutu, sine intercedente scriptura *d. l. 22. C. de Fideic.* relinqui videmus,) postea vero præter legata, exceptis fideicommissis, præprimis universalibus ad omnes ultimarum voluntatum species extenſa.

## §. VI.

Ideoque extra dubium est, quin & in donationibus tam mortis causa, quo applicata est ex *Conf. D. SEVERI l. 2. C. de mort. cauf. don. & l. pen. C. ad L. Falc.* quam donationibus omnium bonorum inter vivos, morte confirmatis, quæ simili effectu sunt, locum inveniat *d. l. 2. C. & l. 15. §. 5. ff. eod.* Et si LL. Saxonicas adspicimus, jure communi idem receptum esse patet, *CARPZ. P. III. Conf. I. d. 1.* Ait jure Saxonico Electorali contrarium constitutum *d. Conf.* appetat: ibi enim Serenissimus Elector per verba: *Damit nun hierinne eine Gewissheit sey ic.* donationes mortis causa omnium bonorum, nisi judicialiter factæ, pro invalidis & nullius effectus declaravit; intuitu vero judicialiter factarum Legis Falcidiæ usum penitus abrogavit. Nemo quoque negabit, quod *Conf. dict. 1.* generaliter, non tantum de donationibus omnium bonorum, verum etiam omnibus ejusdem speciei, ut & inter vivos, morte tamen confirmatis, hoc constitutum velit; quod satis clare ex verbis: *Und das die Falcidia in unsern Landen, in diesen und andern donationen, so auf den Todestfall geschehen, nicht statt haben solle ic.* collendum.

C.

§. VII.

## §. VII.

Non vero hac abrogatio ad testamenta vel alias ultimas voluntates extendenda, verba enim *d. Conf. I. wir wollen aber damit ic.* satis innuunt, noluisse Serenissimum quoad hunc passum juri communi derogare; ideoque in quaestionebus testamentorum, de quibus nil speciale hac Constitutione constitutum, leges Romanas pro infallibili norma & regula merito agnoscimus. Cum vero pacta dotalia, quatenus de futura successione disponunt, merito ultimis voluntatibus annumerentur, haud abs re erit, querere, annon & in his, sicuti & in aliis ultimis voluntatibus lex nostra applicari possit? non quidem solliciti erimus hac in re, præprioris naturam pactorum dotalium prænittere, neque nostrum erit, varium modum eorum prolixè afferre, sed tantummodo dispiciemus, ubi Lex Falcidia usum vel præstet, vel non. Ideo breviter respondemus, ejusmodi pacta vel tanquam codicillos, vel donations mortis causa, quarum naturam imitantur, considerari. Quod ad illa attinet, haud veremur, contra tot dissentientes, qui plane usum Legis Falcidiæ intuitu pactorum dotalium negant, affirmare, omnino & ibi usum reperiri. Quamdiu enim nec ratio nec lex contrarium expresse disponens apparet, tamdiu etiam opinioni, qua rationi convenientior altera est, inhærendum. Nunc vero neque lex contraria usum Legis Falcidiæ prohibens, neque ratio, qua contrariantium opinio verior videatur, produci potest, ergo & nostra haud reprehendenda erit. Ut & taceamus, per verba finalia Constitutionis *I. wir wollen aber damit ic.* nostram opinionem satis clare probari, dum quoad testamenta nil separatum a jure communi constitutum inveniatur, pacta vero dotalia, codicillos, eorumque naturam imitantur. Ita & ad quaestioneum THEOPHILI Fromholde respondit FACULT. JURID. LIPS. 1696. Mens. Aug.

Wollet

Wollet ihr berichtet seyn, ob nicht in solchem Fall, wenn besagte Chestiftung als ein Codicill gültig seyn könne, ihr den 4ten Theil ex lege Falcidia davon abzuziehen befugt?

O. n. w. euer Bruder dieses verordnet, daß sein Erbe alle sein Vermögen, beweg- und unbewegliches, gegenwärt- und zukünftiges, auch aussenstehende Schulden und Effecten, nichts davon ausgeschlossen, haben und behalten, auch niemand, wer der auch sey, das geringste auszuantworten, schuldig seyn soll, und es also, daß er den Abzug des 4ten Theils nicht verstatten, sondern solchen verbieten wollen, das Ansehen gewinnet.

O. a.u.d. nach Verordnung derer Rechte das Verbot detractionis Falcidiae nicht per verba æquipollentia, sondern mit ausdrücklichen Worten geschehen muß, und dergestalt, weil dergleichen allhier nicht zu befinden, dieses, daß das sämtliche Vermögen dem Erbe ausgeantwortet werden solle, in keine Consideration zu ziehen, sondern viel mehr daß solche dispositio, salva quarta Falcidia geschehen, davor zu halten; So seyd ihr auch auf den Fall, wenn ermeldte Chestiftung als ein Codicill gültig sey, den 4ten Theil ex lege Falcidia abzuziehen wohl befugt. V. N. W.

Unde igitur nec invenire possumus rationem, qua illustr. Dn. BERGER. in *Oeconomia Juris* negativam defendere ductus sit, cum ne quidem vel lex, vel argumentum ex ea contrarium disponens, afferri possit. Ast quid de illis dicendum pactis, quæ ad instar mortis causa donationum constructa sunt, an & hic Falcidiae locus? si jus civile sequi permetteretur, cur non etiam eo ex fundamento, quo Lex Falcidia ad mortis causa donationes D. SEVERI *Constitutione l. 2.*

**C. de mort. caus. don.** applicata est, id asserendum? nisi id obstatet, quod jure civili pacta dotalia de universalis successione, vel quota hereditatis facta, ne quidem in vim donationum mortis causa valere possint; l. 15. & l. 19. **C. de Pac*t*.** quo tamē in passu moribus Saxonum precipue *Conf. 43. P. II.* aliud receptum est. Jus vero Saxonum Electorale si adspicimus, determinatam quæstionem jam motam invenimus. Quippe in sèpe cit. *Conf. I. P. III.* expressa voluntas Serenissimi Constituentis prohibitiva, intuitu Legis Falcidiæ, in mortis causa donationibus appetit. Quam ob rationem, quando pacta dotalia, per modum mortis causa donationis confecta sunt, quoque in his legem hanc haud applicari posse arbitramur. Judicialiter enim, si fiunt, pro testamentis, consequenter superstes coniux pro herede habetur; extrajudicialiter quemadmodum mortis causa donationes, ad quarum imitationem constructa, pro invalidis, nulliusque effectus declarantur. Cessante itaque causa cessat quoque effectus; & si invalida ejusmodi pacta sunt, quoque inanis conatus esset, exinde Falcidiæ detrahere. Hoc modo respondit FACULT. JURID. LIPS. ad quest. ejusd.

Fällt Zweifel vor, ob, daferne die erwehnte Eheschließung vor eine Übergabe auf den Todesfall zu halten, alsdenn die quarta Falcidia abzukürzen wäre.

**D. n. w. die Churfürstl. Sächs. l. Conf. P. III.** bloß allein der selben Abziehung in donationibus omnium bonorum mortis causa judicialiter factis verbietet, und es daher, als wenn dergleichen auf gegenwärtige außer Gericht beschehene Übergabe nicht zu ziehen wäre, sondern disfalls die quarta Falcidia wohl abgekürzt werden könne, scheinen möchte.

**D. a. u. d. in lezt ermeldeter Constitution die außer Gericht beschehene donationes omnium bonorum mortis causa vor**

vor null und nichtig gehalten werden, folglich denen-selben einiger effectus juris nicht bezeugen, auch da-her der quartæ Falcidiae halber der Abzug nicht statuiret werden kan.

So mag auch auf den Fall, wenn die erwehnte Ehestiftung vor eine Übergäve auf den Todesfall ge-halten werden sollte, die Abkürzung der quartæ Falcidia nicht statt haben V. R. W.

### §. VIII.

Ex his vero, quæ diximus de mortis causa donationibus, & pactis dotalibus, naturam earum imitantibus, eas haud im-merito applicari posse ad donationes omnium bonorum morte confirmatas, eo quod l. 2. C. ad L. Falcid. simili effectu, quam mortis causa donationes, reperian-tur, haud dubium est, si ejusmodi donatione inter conjuges de omnibus & universis bonis ab una vel altera parte disponatur, quin & in hac heredibus ab inte-stato succendentibus, beneficium Legis Falcidiae competat. Ita, ut in ejusmodi donatione ab uxore, marito facta, non tantum quarta Falcidia ex immolibus, verum etiam, quasi forte poena loco, quod non contentus fuerit maritus, portio-ne sibi alias competente vel lucro mobilium, ex mobilibus ab heredibus ab intestato detrahi possit. vid. CARPZ. P. III. c. 1. d. 4. nec non MATTH. COLERUS P. I. dec. 12. & MODEST. PI-STOR. P. I. qu. 48.

### §. IX.

Attamen, quamvis in donationibus mortis causa judi-cialiter factis jure Saxonico Electorali nulla detractio sive de-minutio heredibus ab intestato relictâ sit, omnia vero bona

C 3 donan-

donantis absque onere donatario tradi debeant: non tamen tanti effectus sunt, ut legitima tanquam portio lege naturali debita. *l. 7. pr. ff. de bon. damn.* & *l. 36. c. 2. C. de inoff. Testam.* vel aliqua ex parte per ejusmodi donationes diminutionem patiatur *Nov. 115. c. 3. & c. 5. pr. v. Ceterum.* Unde, si vel laesio in legitima apparet, vel ea penitus ablata est, tunc priori casu actione suppletoria suppleri poterit defectus, posteriori vero casu donatio pro irrita ac invalida habenda erit, *d. Nov. 115. c. 3. & Conf. g. P. I. princ.*

### §. X.

Hactenus de usu Legis Falcidiae, quomodo ille in ultimis voluntatibus se exhibet, ostendimus. Nonnulla quoque hac in re exempla adduximus. Missis his, nunc & videamus, quibus in casibus Falcidiae usus cesseret. Hoc fit 1) vel *ex privilegio rei legatae*, 2) *Testatoris dispositione*, & denique 3) *facto heredis*. *Ex privilegio rei legatae*, quando scilicet hac conditione illa legata est, ut nullo tempore alienari debeat, nec possit, semper vero apud familiam legatarii ejusque successores in infinitum permaneat, *Nov. 119. c. 2.* id quod fieri eam forte ob rationem, credimus, quod simul cum commodo rei legatae onus quoque, i. e. prohibitio alienationis ad legatarium devolvatur. Ita id quoque se habet, si inter alia legitima legetur, *l. 33. §. Sancimus C. de inoff. Testam.* ea enim sine ullo onere tanquam debitum naturale salva iisdem personis, quibus debetur, conservanda, *l. 29. & l. 44. pr. ff. de bon. libert.* FABER in Cod. L. 3. T. 19. d. 6. n. 12. item in dote uxori prælegata, *l. 81. ff. ad L. Falc.* An vero in legatis ad pias causas cessat Falcidia? negamus, nisi heres moram aut dolum in iis præstandis commiserit, *Nov. 131. c. 12.* & quamvis CARPZ. P. III. c. 1. d. 16. contrarium ex obser-

servantia in foro probare voluerit; tamen non videmus causam moventem, ob quam eius opinioni inhærendum. Nam si leges Saxonicas adspicimus, contrarium ibi receptum esse, haud reperimus. Propterea hæc quæstio merito ex jure communi tanquam fonte decidenda. Ut & taceamus, nullius momenti esse rationem illam, quam CARPZ. d. def. 16. ea de re profert, dum contra aperta legis verba & communem Dd. opinionem, quam & alias ipse fovet, tacitam Legis Falcidæ prohibitionem sufficientem esse arbitratur.

## §. XL.

*Ob Testatoris dispositionem LEX FALCIDIA cessat, 1) quando jure militari testatus est. 2) detractionem quartæ Falcidiae prohibuit.* Quod enim ad personam militarem eodem jure testantem attinet, leges Romanæ in specie qb singularē favorem officii militaris, inter alia beneficia, & hoc, quod liberrime de bonis suis testamento disponere possint, ipsis concessere. Imo LEX EALCIDIA intuitu militarium testamentorum penitus abrogata est, l. 7. C. ad L. Falc. l. 40. § 92. ff. cod. Quod tamen non ad veteranos, l. 40. ff. ad L. Falc. it. l. 8. pr. ff. de Excusat. vel milites vagos sive circumforaneos, Frey-Reuter, Herren-loſe Knechte, Recessu Imp. de Anno 1521. T. 15. extendendum volumus; Hæc enim personæ tantummodo, si testantur, jure communi §. 40. Inst. de Testam. milit. id faciunt. Quando vero quis jure militari testatus est, videndum præprimis, an scilicet eo tempore, quo testamentum condidit, revera persona militaris fuerit, deinde, an declaratio in testamento appareat, ut jure militari testari voluerit; nam si ea non invenitur, jure communi testatum esse

præ-

præsumitur. Ita etiam ad quæstionem Martin Mettichs-  
stabs responderunt DN. SCAB. LIPS. 1682.

Wollet Ihr ferner, was denn eigentlich der Testator seiner Eheliebsten in seiner Disposition zugewendet habe, und ob solche auch auf dessen verlassene unbewegliche Güther, und insonderheit das Guth Straßgräbgen zu extendiren, auch ob denen Erben ab intestato, wenn das Codicill beständig, Falcidiam zu decurtiren nachgelassen, berichtet seyn.

O. n. w. angeführt werden möchte, daß der Obri-  
ste N. nur seiner habenden, und fahrenden Güther er-  
wähnet, zu der Zeit auch, da er seinen letzten Willen  
aufgerichtet, noch keine immobilia gehabt, also davon  
zu disponiren nicht vermocht; Im übrigen seinen letzten  
Willen Codicillum militare genennet, in testamento mi-  
litis aber die detractio Falcidiae nicht statt hat; Überdiss sei-  
ner Liebsten alles verschrieben, daher er detractionem  
quartæ verbieten wollen/zu schließen:

O. a. d. der Testator aller seiner habenden und fah-  
renden Güther in genere gedacht, also von seiner ganzen  
Verlässenschaft disponiren wollen, das Wort habende,  
auf unbewegliche Güther, so wohl als bewegliche sich  
erstrecket, die Disposition allererst durch des Testatoris  
Tod confirmiret, und nach denen Güthern, so er zu sol-  
cher Zeit gehabt und verlassen, zu richten. Im übri-  
gen aus dem Worte: militare, daß er jure militari testiren  
wolle, alleine nicht zu inferiren, sondern vielmehr, weil  
stärkere præsumtiones, daß er ex jure communi testiret,  
verhanden, solches Wort pro superfluo zu halten, die  
particula: alle, auch von solcher Wirkung, daß sie detra-  
ctionem quartæ verhindern sollte, nicht ist;

Go

So ist des Christen N. Disposition auf seine ganze Verlassenschaft, und also auch auf das Guth Straßgräbgen zu extendiren, und mögen die nächsten Unverwantten zu selbigen, vor der Wittben, sich nicht ziehen, es wäre denn solches in Erbe nicht würcklich verwandelt, sondern Lehn verblieben, auf den Fall bleibt es denen Agnatis alleine billig. Es seynd auch dessen nächste Freunde, und Erben ab intestato quartam FALCIDIAE vor der Restitution, von der ganzen Verlassenschaft abzuziehen, wohl befugt, V. N. W.

Porro cessat FALCIDIA, quando ipsam testator expresse prohibuit, de quo jam supra, ubi de differentia egimus, dictum. Notanter tamen expresse vocabulum adjecimus, dum leges, præcipue Nov. I. c. 2. §. 2. tacitam prohibitionem haud permittunt: quod & obtinet in Jure Saxonico Electorali, ut videre est, tam ex Decis. Elect. 43. quam CARPZ. P. III. c. 1. d. 13. BERLICHIO P. II. L. 72. Aliud tamen lege contraria introductum in terris vicinis Brandenburgicis, præcipue Pomerania, ex speciali statuto a SERENISSIMO FRIDERICO WILHELMO 1681. dato item in Ducatu Wurtenbergico, ut videre est ex jure Provinciali Wurtenbergico, P. III. T. 25. §. fin.

### §. XII.

Denique ob heredis factum cessat detractio Legis FALCIDIAE, 1) si ei renunciaverit, l. 46. ff. ad L. Falc. vel ea intentione non retraxerit, ut vel legatario vel fideicommissario donaret, 2) si in vires hereditatis non inquisiverit, vel inventarium haud fecerit, quod etiam dicendum, si quidem factum inventarium, non vero solenniter d. Nov. c. 2. ea ex

D

ra-

ratione: quod tunc propter confusionem bonorum tam heredis, quam defuncti, dolii præsumtio, quasi propria autoritate res aliquas ex hereditate substraxerit, emergat, 3) si vel dolo aut culpa res legatas amiserit, vel deperditas esse dixerit, sive intra longum tempus, admonitus quidem, de legatis ea non præstiterit d. Nov. c. 4. Autb. hoc amplius C. de fideicommiss. conf. B. STRYCK. Diff. de illicita Falcidie detractione, c. 3. n. 89. seqq. Quod vero de inventarii confectione, tanquam præcipuo requisito diximus, hodie non amplius in usu esse patet, siquidem moribus Saxonum ejus in locum introducta est jurata specificatio, vid. RICHTER decif. 60. n. 5. quæ ejusdem effectus est, quam solenne inventarium, CARPZ. P. III. c. 33. d. 19. JOH. PHILIPPI ad Decif. Elect. 57. obs. 2. n. 7. seqq. ex quo porro sequitur, quod nec amplius per additionem simpliciter, i. e. sine inventario, heredis & defuncti bona confundi censeantur. vid. WESENBEC. Vol. I. cons. 15. n. 86. MEVIUS in Diff. de jurata specificatione, c. 3. §. 3. & 6.

## §. XIII.

Denique queritur, an, si nōmen passivum legatum fuerit, quarta Falcidia ex eo detrahi possit? recte negative respondemus, dum ejusmodi legatum æquiparatur æri alieno, quod ante omnia ab hereditate defuncti deducendum. Nam etiamsi hoc debitum haud legatum fuisset, tamen, quemadmodum alia testatoris debita, ex massa hereditatis deduci debuisset. Ideoque non videmus rationem, ob quam ILLISTR. DN. BERGER. in *Oeconomia juris* L. II. T. 4. §. 31. affirmative questionem decisam voluerit: supervacaneumque hoc, quando limitat; locum habere FAL-

FALCIDIAM in nomine passivo legato, quod ad eam pertinet, quæ ultra debitum continet lucrum, attingit, existimamus.

## §. XIV.

Antequam autem Falcidiæ ratio habeatur, eamque heres detrahatur, & legatarius legatum consequatur, Tria præ-  
primis de hereditate deducenda: qualia sunt, 1) æs alienum,  
2) funeralis impensa, & 3) pretia servorum manumisso-  
rum vid. §. 3. Inst. de L. Falc. Æs alienum quod concernit,  
illud vel est hominis, vel legis, eo referuntur nomina passiva,  
ut ita loquamur, intuitu quorum defunctus pro debito  
tore habetur; Huc pertinent debita legis, sive ex lege de-  
scendentia, quale est legitima, quæ ex lege naturæ sine one-  
re liberis relinquuntur. l. 30. C. de inoff. Test. Ratio vero,  
cur æs alienum præ aliis deducendum, est, quod nullæ in-  
telligentur facultates, nisi quæ post deductum æs alienum  
supersunt. l. 32. ff. de jur. dot. l. 39. §. 1. ff. de V. S. Funeralis  
impensarum appellatione, continetur omne id, quod circa  
ipsum sepulcrum & sepulturam defuncti erogatum est, l. 14.  
§. 3. & l. 37. ff. de relig. & sumt. fun. Et deducuntur ob favo-  
rem religionis, quæ potior ære alieno est. l. 43. ff. eod. Plu-  
ra vid. in §. d. 3. Inst. de L. Falc. Pretia servorum deducun-  
tur, tum, quia sunt pars æris alieni, nec heredi prosunt,  
ideoque ei non imputari debent, l. 36. §. 2. ff. ad L. Falc.  
tum quod libertatis favore multa contra communes regulas  
in jure comparata sunt & inducta. l. 122. ff. de R. J. Illis  
igitur prius ex hereditate defuncti deductis, ita ratio  
habetur, ut ex residuo deinde quarta, ex Lege Falcidia, here-  
ditatis apud heredem remaneat, ita tamen, ut hoc fiat pro  
portione legatorum. Quænam vero res in dictam quar-

tam imputentur, de his supra jam actum, & nil amplius heredi imputari potest, quam ea duntaxat, quæ jure hereditario, non vero titulo vel legati, vel fideicommissi accepit. per l. 91. ff. ad L. Falc.

## §. XV.

Quum tamen ex jam dictis verum appareat, omnes res, quæ ad heredem jure hereditario pervenire, in FALCIDIAM imputari, credendum fere esset, etiam ad legitimam hoc extendendum, quoniam hic cum legitima simul etiam quartam hereditatis salvam consequi videatur; Ast reaccuratius perspecta, non inanis a JCTis movetur quaestio, an simul legitima una cum quarta Falcidia diversa actione ex defuncti hereditate peti debeat ac possit? quippe ex l. 3. ff. de Adopt. & l. 91. ff. de R. J. apparet, quod ille, qui discreta jura habet, quoque pro diversa persona habeatur, ideoque diversis modis emolummentum consequi possit. Nunc autem heres discreta jura habet, tam intuitu legitimæ, quæ portio ex lege tam naturali quam civili, ipsi tanquam æ alienum legis debetur, dd. LL. quam ratione quartæ Falcidæ, quæ ipsi pro solatio hereditatis aditionis LL. ordinata sit; quo & venit, legitimam non tantum absque onere relinquendam esse, verum etiam in ea heredem tanquam ab intestato succedentem, intuitu vero portionis ex L. FALC. tanquam ex testamento hereditatem adeuntem, considerari, quam sententiam confirmant c. Raynaldus & c. Raynulius X. de Testam. Quo & inclinare videtur CARPZ. P. III. c. 1. d. 21. quando in diem aut sub conditione legatum relictum est. Nec nos dubitamus, quin eo, quod legitima pro ære alieno legis habeatur, CARPZ. L. VI. Resp. 48. quarta vero Falcidia, non aliter

a liter, nisi deducto ære alieno detrahi possit, tam FALCIDI A, quam legitima, diversa actione peti queat. Nec obstant l. 1. ff. ad L. Falc. §. 5. Inst. de fideic. hered. l. 8. & 9. ff. de inoff. Testam. ubi ULPIANU S inquit: quod is, qui quartam habet salvam, ab inofficiis querela repellatur. Haec enim verba & cit. LL. minime ad huncce casum applicari videntur.


## §. XVI.

Restat denique, ut peractis his, coronidis loco, de remediis, quibus quartam Falcidiā consequitur heres, pauca proferamus. Et si retro respicimus, unicum tantummodo remedium, *jus nimirum retentionis* heredi competuisse, animadvertisimus, l. 15. §. 1. ff. ad L. Falc. & l. 18. C. eod. Hodie vero plura inveniri, nemo est, qui negat. Siquidem ex l. 26. ff. ad L. Falc. patet, quoque præter *jus retentionis*, *rei vindicatione* quartam nos consuequi posse, si forte res legata jam apud legatarium sit, quo in casu jure vindicare partem, qua propter Legis Falcidiæ rationem remanere deberet, posse heredem, inquit SCÆVOLA L. V. Responsorum, unde decerpta est l. d. 26. ff. ad L. Falc. Porro *Conditione indebiti*, si forte ex errore facti totum legatum legatorio exsolvit, vel alio modo quid ad legatarium pervenit l. 1. §. 11. ff. ad L. Falc. l. 39. ff. de Conditi. indeb. Ultimo denique *actione ex stipulatu*, si scilicet legatarii, stipulanti heredi promiserunt, restituere id, quod ultra dodrantem fuit legatum, arg. l. 1. ff. si cui plus, quam per L. Falc. licuerit, &c. quæ actio, quamvis ejus usus raro Jure Saxonico contingat, tamen haud abrogata, si præ-primis requisita stipulationis necessaria, apparent, inveni-  
tur.

30 DE LEGE FALCIDIA EJUS ORIGINE, &c.

tur. Et hæc dicta sufficient de Legis Falcidiæ usu in foro, quam & de eo, quod supra promisimus. Si forte quædam deficiunt, quæ adesse deberent, id haud nobis sed temporis penuria, L.B. imputabis. Interim tamen DEO  
TER OPTIMO MAXIMO SIT LAUS  
HONOR ATQUE GLO-  
RIA.

F I N I S.





VD18

**ULB Halle**  
007 017 200

3







B.I.G.

7  
Ai. 59. num. 34. P. d. 11. 11.  
1713, 38

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JURIDICA  
DE  
LEGE FALCIDIA  
EJUS  
ORIGINE, DISPOSITIONE  
NEC NON  
USU IN FORO SAXONICO

P. 295  
QUAM  
OCCASIONE CONST. EL. I. P. III.  
CONSENSU ILLISTRIS JCTORUM ORDINIS

PRÆSIDE  
D. FRIDERICO HENRICO GRAFFIO,  
SUPR. CUR. PROV. ADVOCAT. ORDIN.

MODESTÆ FRUDITORUM DISQUISITIONI,  
AD D. XXII. AUG. AN. MDCCXIII.  
SUBJICIT

CHRISTIANUS AUGUSTUS GLASER,  
SORAV. LUSAT.

LIPSIAE,  
LITTERIS IMMÆNUELIS TITI.

